

P V I S



1 6 0 5



~~XLVII~~

46.

CARMEN  
IN AMPLISSI-  
mi magnificiꝝ & omnibus re-  
BUS PRÆCELENTIIS SI-  
mi viri, Domini LUDOLPHI SCHRA-  
DERI, LL. Doctoris, & Ordinarij in  
Academia Francofordiana  
Magistratum,

Michaele Haslobio Ber-  
LINENSI AV-  
etore.

bv.



FRANCOFORDIAE  
CIS VIADRVM.

ANNO M. D. LXIX.

67



И Е М Я О

1221 СТМАИТ

ЭТА ПРИЧЕСКА ИМЕЕТ  
ДЛЯ ЗАЩИТЫ

ПОДОБНОГО ВРЕМЕНИ  
СВЯТОГО ПАВЛА.

ВЪ КОТОРЫХЪ

СЛЫШАЛИСЬ

СЛОВА СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАВЛА

CARMEN IN AM-  
plissimi magnificiꝝ, & omni-  
**BVS REBV\$ PRÆCELLENTIS-**  
simi viri Domini LV DOLPHI SCHRÄDERI,  
LL. Doctoris, & Ordinarij in Academia Fran-  
cofordiana Magistratum: Estq; Encomia-  
sticon cum voto in felix anni 69.  
auspicium.

**E**t suus est auro decor, & præstantia gemmis,  
Sed tamen hæc Virtus vincere sola potest.  
At quocunq; loco viuit, quocunq; videtur  
Vnica mortales in sua iura vocat.  
Cultoresq; beat titulis, & honoribus ornat,  
Tristis ab illius munere nemo fuit.  
Sæpius absentes etiam miratur amicos,  
Et fuit in dignos officiosus amor.  
Te quoq; respexit Virtus, cum nuper abesses,  
Ac tibi Magnifici nomina clara dedit.  
At licet arguto celebreris carmine Vatum,  
Ingenij cultrix est Elegia tui.  
Sit mea virtutis laudatrix Musa, nec olim  
Sit pudor Herorum condere facta ducum.  
Dum loquor à dextra plaudens Elegia fauebat,  
Incipit & Vates nominis esse tui.

A 2 Et

*Et canit vt Pallas primis tibi fauerit annis,  
Cum decus afflauit pectoris omne sui.  
Tunc vbi suspexit iuuenem Philyræus Elister,  
Nominis & fautrix Itala terra fuit.  
Albis & aspexit mores animumq; docentis,  
Ocia quæ Musis Leucoris ora facit.  
Indè canit Viadri sylvas & tecta secutum,  
Consilijs magnos sæpe leuare duces.  
Non secus ac Ithacus sapiens, Nestorq; disertus,  
Mellea quos fandi gloria tollit humo.  
Quanta sub exili lucescit corpore virtus  
Facunda decorans nobilitate genus?  
Vos reliqui (dicit Dea) vos ignoscite fassæ,  
Quid, precor, hunc vnum quo superetis, erit?  
Odera nimirum vidisti sæpe loquentem,  
Diceris & fluvio lœta fuisse tuo.  
Quando foues illum fando qui præterit omnes  
Ceu viridem rorem Laurus odora maris.  
Et per opes crescit multis sudoribus auëtas,  
Iusticiæ monstrans consilijq; vias.  
Musicus idcircò porrexit frena senatus  
Rector vt eximiæ laudis honore foret.  
Hic tua se certis monstrat prudentia signis,  
Floreat hæc studijs vt Schola lœta suis.  
Iusticiæ quoniam præses Legumq; videris,  
Vatis & ingenio carminibusq; faues.*

*Sic*



Sic referens Elegia tuos celebrabat honores,  
Doctus at excipiens omnia Phœbus ait.  
Ut peregrinator varias qui currit ad yrbes  
Pluribus obiectum se videt esse malis:  
Donec ad optatæ patriæ loca grata reuersus  
Possit in optata carpere læta domo.  
Sic quoq; mortales onerant quicunq; labores  
Multæ domi passos tristia, multa foris.  
Hoc etiam varias ærumnas sensimus anno,  
Non expers oneris possit abire locus.  
Ecce quot ingemuit quantis Ecclesia damnis,  
Dum sperata nequit Manibus esse quies.  
Inuidus at quondam tumulatis parcere suevit,  
Liuor & est dictus non tolerasse moram.  
At noua (Quis nescit?) passim commenta feruntur,  
Floreat ut verum debuit esse modus.  
Bella sed & nostris iam nunc caluere sub oris,  
Incudit & varios extera turba metus.  
Pestis & eripuit multos & fudit inermes,  
Nunc quoq; non inter prælia finis adest.  
Et sentit priuata domus satis vna laborum,  
Tristia dum secum quælibet hora vehit.  
O vtinam sperata quies Germana reuisat  
Oppida, (quod lætor) dum nouus annus adest.  
Meta Viatori ceu cum monstratur anhelo  
Gaudia sub læto pectore læta fouet.

A 3

Sic

Sic erit. (*Hæc orat Phæbus*) ventura recludo.  
Candidior lapsō proximus annus erit.  
Sit bonus & felix: ego quod de pectore toto  
Comprecor optatis Teutonis ora tuis.  
His ita finitis Pietas hæc dicere cœpit  
Æthereæ Pietas dulcis alumna domus.  
Teutonicis etenim studijs rebusq; fauebat,  
His niueos tota mente precata dies.  
Sit benè (dicebat) patriæ: sit Marchia felix,  
Quærat & in cunis concelebretq; Deum.  
Spiritus huic adsit Patris, Natiq; voluntas,  
Ac sonet in nostro gloria sancta solo.  
Pax animos etiam liget, & concordia iungat  
Austria siue tuos seu quoq; Saxo tuos.  
Clauiger in viuis maneat Dux, sceptriger Heros,  
Viuat, & ô placidæ tempora pacis amet.  
Laus crescat cultusq; Dei, cœtusq; supersit  
Qui colat exhibiti dogmata sacra D E I.  
Quotquot & (*hæc orat Pietas*) cœlestia spectant,  
Vtiliter præsens omnibus annus eat.  
Pestis atrox bellumq; cadat quod nititur armis,  
Peste quod aspectum durius esse fuit.  
Te quoq; (*sic Pietas*) curet Leodolphe voluntas  
Cœlica, te faciant & tua Fata senem.  
Et tibi contingant summæ virtutis honores,  
Et tibi magnarum copia fiat opum.

Quando

Quando bonis animi nihil addi possit, & extee  
Iam tua sub varijs laus celebrata locis.  
Hæc ita, quæ cernis, Pietas SCHRADERE canebat  
Dum geris eximij Rector honoris onus.  
Hic ubi vitiferos spectat celer Odera colles,  
Et viget Aonidum Iustitiæq; nitor.  
Quod precor, Haslobij Musam (quod feceris) audi,  
Quam libet hinc illinc nomina laudis alas.  
Nam, tibi cum præstò sit vbiq; futura vel vni,  
Iusticiæ vigilans esse ministra cupit.  
Cumq; tibi Phœnix possis renouare iuuentam,  
Officij testem fer precor esse tui:  
Quæ nomen venerata tuum, mirata vigorem  
Pectoris, ex animo te Leodolphe colit.



CONVENTUS

Conventus  
Regis  
Albrecht

7f 4600

ULB Halle  
003 299 04X

3



St.

107





# Farbkarte #13

B.I.G.

Inches

Centimetres

Blue Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

INCOFORDIAE  
CIS VIADRVM.

ANNO M. D. LXIX.

ARMEN  
AMPLISSI  
nificiꝝ & omnibus re  
RÆCELLENTIS SI.  
mini LVDOLOPHI SCHRA  
LL. Doctoris, & Ordinarij in  
cademia Francofordiana  
Magistratum,

aele Haslobio Ber  
INENSI AV.  
etore.

bv.

7

